


# ALMA ROMA



QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C.DEL VECCHIO.



Pontificem  
re ab Africa  
defenderem.  
erni gladius.  
hoc creditit.  
praemisit ceteris,  
dit confidentior.  
otum cumulant,  
ibusque honori-  
bus!  
Quidquid est in  
[pretio ;  
iderunt oculis,  
s vincere;  
anis opibus;  
ne prudentia, ...  
im in posterum.  
ous sint meritis,  
ceae, gladii,  
magistris equi-  
[tum,  
nea modestia.  
n Romam vene-  
ram?  
milites,  
nc cognoscere.  
pene in exitum.  
sili socii,  
erunt plurimi,  
nunc stipendia.  
onduximus,  
m fallaciam.  
abit patria!  
socii convenient,  
lis Pontificis ...  
olis negotium! ...  
, Sponsor.  
IS VATICANIS.

# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

•••

**Sedes aliae:** In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Crema - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Mercatale - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietranello - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Rapallo - Reggio Cal. - Rivarolo Canavese - Rocchetta Ligure - Roma - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Saronno - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppò, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

¶ Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt. ¶

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus.*)

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15  
*ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96:*

INGREDERE BEATISSIME PATER

PIE XI P. M.

AEDES VATICANAS

QVAE MVLTIS VIRTVTIBVS CORVSCANTES

NOVO SEMPER SPLENDORE CVLTVQVE INSTAVRATAE

IMMORTALI GLORIA NITESCVNT

LOCVMQVE DIVINITVS PER LONGAM HOMINVM SERIEM

MERITO ADSIGNATVM

LAETVS OVANSQVE OBTINE

TE INCREDIBILI ANIMORVM GAVDIO EXSVLTANS

VNIVERSVS LATE ORBIS PARENTEM

TE RESTITVTOREM FELICIVM SAECVLORVM SALVTAT

PRECATVS

VT PACATIS TANDEM HOSTIBVS

IN AVGVSTA SEDE DIVTISSIME SOSPES

INTERSIS POPVLO CHRISTIANO

## A Benedicto XV ad Pium XI P. M.

Heu! quem nuper plurimis nos verbis laudabamus quod maxima, superiore labore anno, facturum se portenderet, nunc supraea Ei persolvimus!

Summus enim Pontifex Benedictus XV, die vigesima secunda mensis Ianuarii, in gemiscentibus omnibus, brevissimo morbo praereuptus, in Vaticanis aedibus placidissime diem obiit supremum. Et Ipse – o arcana Dei consilia! – paucis ante diebus vegeta admodum aetate, Patres Cardinales allocutus, solemniter festa centenaria memorabat, quae in sanctorum nonnullorum gloriam, magna fausta Christiano Nominis praesagiens, grandi apparatu se celebraturum pollicebatur!

Sed, e contra, in Eius obitu universus terrarum orbis

*miserabile carmen*

*Integral, et moestis late loca questibus implet!*

\*\*

Benedictus XV, domo Genua, nobili loco natus, Deo auctore, Pontifex Maximus renuntiatus tertio Nonas Septembrii an. MCMXIV, pontificatum suscepit in incredibili Christiani Nominis trepidatione. Regnum auspicatus exardescente tetrico illo bello, quod diu multumque universum hominum genus dilaceravit, perpetuus pacis amator, caritatis laude inclinavit, magnam subito de se fiduciam adferens. Ad principes, inter horrentes armorum strepitum, atrocias bella deprecatus, gravissimas litteras dedit, ut populos a sanguine prohiberent. Quo facto pacem mortalibus suadendo, in omnem late orbem terrarum est dominatus.

Mirum sane: Ei in re angusta versanti, missis undique ultro muneribus, omnes homines opitulabantur.

Perpetua eius in egenos liberalitas illustrabitur, et pietas qua impigre populos excoluit.

Singulari consilio futura prospexit, audientem potentiorum fidem deprehendit, in ipsis rerum difficultatibus populorum animum sustulit, atque invicta fortitudine recte a se facta detorquentes fregit.

Consilium, auctoritas, magnitudo animi cum summis viris eum aequarunt, qui novum rerum ordinem Catholico nomini faustum felicemque sunt omni tempore auspicati.

Suavissimis moribus, pectore candidus, aequalium laudem sanctorum prudentia praeverens, pietate, modestia, patriae caritate maiorum amplitudinem cumulavit. Cunctis vitae necessitatibus aequabilis, solus, admirantibus late populis, atroci tempore pueris totius orbis fame periclitantibus sumptus suffecit, eorumque calamitates prolixa liberalitate sublevavit.

In tanta rerum perturbatione universam rem christianam aequo regit imperio, et insuper ad clamantibus universis ordinibus, nova pacta cum novis Europae rebus publicis init. Insignem et inde triumphum retulit; quibus factum est, ut iterum Gallorum Orator, quem omnes boni absentem ingemuerant, in Urbem rediret. Invicta fide Petrum, ardenti religionis studio Paulum referentem autumant.

Omnes itaque precabamur ut pacatis undique rebus, in augusta sede diu placideque populo christiano tantus vir interesset. Longe vero aliter Deus omnia composuit! Quum enim sperabamus, ipsis Pontificis suffragiis, Deum requiem curarum et laborum fessis mortalibus adlatum esse, Benedictus XV, Deo defixus, praeter omnium opinionem mortalem vi-

tam sanctissimis religionibus rite perfunditus, immortali omnibus flebilis commutavit.

\*\*

Sed ita est Christianorum familia divinitus constituta, ut quum Pater decedat, alter in eius locum sufficiatur, qui indefesse maiorum suorum operam sit persequuturus in filiorum salutem, usque ad consummationem saeculi. Itaque dum BENEDICTUM XV necopinato vita functum lacrimis iustoque comploratu personamus, iam PIUM XI novum parentem fidenti animo acceperimus, quippe comperti, in dubio ac stulto hostium clamore, ipsum, hisce nostris diebus, tum illius, cuius nomen renovavit, internae Ecclesiae disciplinae curam ex sua parte firmaturum, tum defleti praedecessoris sui amplissimum ipsius Ecclesiae incrementum continuaturum. Quovis enim nomine christiana reipublicae praeses vocetur, unus semper Pastor est, et erit, Petrus ille, cui Christus dixit: « Pasce oves meas »; cui primo traditum est divinum illud mandatum: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae »; cui denique unice relicta pax illa est, quam nunc praesertim sitimus omnes, neque mundus concedere potest.

Atqui hanc pacem pro universo hominum genere publice implorare, prima quidem fuit novi Pontificis sollicitudo: utnam vere

*optata tempora pacis eant!*  
*Omnia flent pacem: coiant in foedera gentes:*  
*Terrarum nullus protinus alter erit!*

ALMA ROMA.

*Expedit multo magis bene timere, quam male fidere; et utilius est ut infirmum se homo cognoscat, ut fortis existat, quam fortis videri velle, et infirmus emergat.*

S. AUGUSTINUS, in Psalm.

## QUID APULEIANA APOLOGIA DE GRAECIA DEQUE SCRIPTORIBUS GRAECIS NOS EDOCEAT<sup>1</sup>

De peripateticae sectae philosophis optime iudicatur. In primis memorantur περὶ ζῷων γενέσεως, περὶ ζῷων ἀνατομῆς, περὶ ζῷων ιστορίας multiuga volumina Aristotelis, et problemata innumera eiusdem, *tanta cura conquisita*, quod vere etiam de scriptis eiusdem sectae dicitur. Accusabatur etiam Apuleius quod piscem proscinderet insciendi causa. Respondet contra suos accusatores: « Hoc in me accusas, quod ego et Maximus in Aristotele miramur? cuius nisi libros bibliothecis exegeris et studiorum manibus extorseris, accusare me non potes ». Apuleius igitur, ut ipse fatetur. Aristotelica scripta pervolutavit, praesertim ea quae ad quaestiones naturales spectarent.

Inter Apuleiana scripta perdeperita, quorum vero exstant testimonia, recensendae sunt *naturales quaestiones*, sive *conviales*, quum unum esse videantur, in quibus auctor egit de piscibus, de arboribus, de re rustica, etc. Quae argumenta utraque lingua conscripta erant, et Apuleius res a Graecis depromptas meliore ratione digessit, quaeque ab aliis relictis sibi videbantur, explevit. In cap. 36 *Apol.*, legimus: « Quae tanta cura conquisita si honestum et gloriosum illis fuit scribere, cur turpe sit nobis experiri? Praesertim quum ordinatus et cohibilius eadem *Graece* et *Latine* admittit conscribere et in omnibus aut omissa adquirere aut defecta supplere... ». Et in cap. 40: « Dixi me de particulis omnium animalium, de situ earum, deque numero deque causa conscribere ac libros ἀνατοῦν Aristotelis et explorare studio et augere ». Alio vero loco se iactat quod

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

nomina Romanis inusitata invexerit, demonstrans ea labore suo et studio « ita de graecis provenire, ut tamen latina moneta percussa sint »; idest nonnulla nomina graeca ad latinam linguam flexit et fecit Latina. In hoc opere, multa ab Aristotele mutuatus est: nihil mirum igitur si principem sectae peripateticae saepe memorat, ut in cap. 36, 40, 41, 51, 103, *Apol.* Verba *multiuga volumina* redigunt in memoria illud Quintilianus *scriptorum copia* (X, 1, 84); et pressius et subtilius est iudicium rhetoris hispani, quippe quod de *rum scientia, de eloquendi suavitate, de varietate operum* apud Aristotelem tractet.

Iisdem autem locis quibus Aristotelis, occurrit quoque mentio eius discipuli, Theophrasti; quin imo Aristotelem et Theophrastum una cum Eudemus et Lycone, ceterisque Platonis minoribus (intellego vocabulum *minores* velut si ipsi haec sententia subiecta sit: « ii qui postea secuti sunt », non « ii qui eius fuerunt discipuli »), per iocum et quasi familiariter illis utatur, *maiores meos* dicit: « Legat veterum philosophorum monumenta, tandem ut intellegat non me primum haec reliquisse, sed iam pridem *maiores meos*, Aristotelem dico et Theophrastum, et Eudemum, et Lyconem ceterosque Platonis minores, qui plurimos libros de genitu animalium deque victu deque particulis deque omni differentia reliquerunt ». Theophrasti memorantur libri *περὶ δακέτων καὶ βλητικῶν* idest de morsibus et vulneribus animalium; eiusdem quoque memoratur cum laude liber de caducis, seu de illis qui morbo comitali laborant: « Est enim etiam eius *egregius* liber de caducis ». Hi omnes philosophi, quorum disputata exploravit, *nobiles* dicuntur.

\*\*

Sed ex omnibus philosophis graecis quos memorat et quorum in scripta acri studio incubuit, merito est Plato in deli-

ciis Apulei. Cuius lepidiora carmina, sive amoris elegiae (*ἔλεγχα*) eximia laude decrantur: « Cuius versus quos nunc percensui tanto sanctiores sunt, quanto aperiatores, tanto pudicitius compositi, quanto simplicius professi » (c. 11); quin etiam Apuleius accusatus quod ludicra quaedam conscripsisset, in excusationem dicit se id fecisse exemplo Platonis. In capp. 10 et 11 eadem in re moratur: « Etiamne, Aemiliane, si *Platonis ipsius exemplo doceo factos?* ». « Ceterum Maximum quicquam putas culpaturum, quod sciat *Platonis exemplo a me factum?* ». Apuleius igitur censem se minime culpavisse in versibus amatoriis conscribendis quem sit tanti nominis tectus praesidio. Itaque, in cap. 13, non dubitat dicere: « Vel si tu id non facis, ego me facile patiar in huiuscemodi versibus *culpari cum Platone* »; quae postrema verba illud Ciceronis mihi in mentem revocant: « Errare mehercule malo cum Platone... quam cum istis vera sentire » (*Tusc.*, I, 17, 39). Veterum ac posteriorum iudicio Plato semper consalutatus est *divinus* (*θεῖος*), quod epitheton proprium est Homeri.<sup>1</sup> Etiam Apuleius appellat *divinum* quem dicit: « Verba ipsa *divini* viri memini, quae tu mecum, Maxime, recognosce » (c. 25). Platonis autem memoratur cum laude τὸ ἀγαθόν, idest *summum bonum*, qua imagine vel signo Academici divinitatem solebant indicare. Tam acri ardore ad Platonicae philosophiae studium se contulerat, et tam in illis doctrinis persolvere se totum prope abdiderat, ut Platonem *sinum* non dubitaret appellare: « Non nihil et Platone *meo* adhortante, qui ait eum, qui ista vestiget, ἀμεταμέλητον παιδίαν ἐν βίῳ

<sup>1</sup> In *Metam.* enim, IX, 18, 10 haec habet Apuleius de Homero: « Nec immerito priscae poeticae *divinus* auctor apud Graios summae prudentiae virum monstrare cupiens multarum civitatum obitu et variorum populorum cognitu summas adeptum virtutes cecinist ». Ceterum, etiam Pythagoras praedicatur *divinus* ab Apuleio: « ... *Divinus ille Pythagoras* » (*Metam.* XI, 18).

παέζειν » (c. 41). Ad quem locum illustrandum multum, credo, conferunt ea quae sunt apud Augustinum, qui (*De civ. Dei*, 8, 14) Apuleium dicit *Platonicum Madaurensis*, et (*ibid.*, 8, 19) memorat copiosissimam et dissertissimam orationem (*Apologiam*) huius philosophi *Platonici*; et (*ibid.*, 8, 12) *nobilem Platonicum* appellat: « In utraque lingua, id est graeca et latina, Apuleius Afer exstitit *Platonicus nobilis* ». Non erit abs re hic memorare etiam *Maximum Tyrium rhetorem*, qui fuit Apulei aequalis, cuiusque sententiae maximam partem congruunt cum illis quae in *de deo Socratis* Apuleiano inveniuntur, sese delectari dicere *Platonicum*, πλατωνικὸν φιλόσοφον.

Quantum vero attinet ad *Timaeum*, qui dialogus una cum Protagora, uti constat, ab Arpinate conversus est, nescio num melius rectius de eo praedicari possit: « Plato philosophus in illo *praeclarissimo Timaeo caelesti* quadam facundia universum mundum molitus » (c. 49). Sic *Plato solertissime* disseruit de trinis potestatibus nostri animi, *aptissime* docuit cur quaeque membra nobis divina providentia fabricata sint; sic Apuleius *illi fidem arbitratur*, idest ad eius opinionem accedit et rationem Platonicam *quantum potest* pro tempore *perspicue* explicat (c. 51), et sese iactat esse *Platonica familia*,<sup>1</sup> quippe qui nihil nisi festum et laetum et sollempne et superum et caeleste noverit (c. 64). Neque solam nonnulla Platonis afferit Apuleius, ut eos locos *περὶ νόμων θεοῖσιν* δὲ ἀναθύματα, etc., et *χροσὸς* δὲ καὶ ἄργυρος, etc., qui apud Ciceronem (*De leg.*, II, 45) conversi leguntur, sed illo gloriatur se tamquam vitae magistro usum esse: « .. Competentissime videor usus Platone ut *vita ma-*

<sup>1</sup> Cfr. *Apol.* 39: « Utrum igitur putas philosopho non secundum Cynicam temeritatem rudi et indeco, sed qui se Platonicae scholae meminerit, utrum ei putas turpe scire ista an nescire?... ».

*gistro*, ita causae patrono, cuius legibus obedientem me videtis ». Ex quo fit ut is aperte fateatur philosophiae honorem sibi salute sua antiquorem esse, quem nusquam minuerit, immo contra ubique *cum septem pennis* tenuerit. Praeter enim Platonem et Aristotelem eiusque discipulum Theophrastum, de quibus iam diximus, memorat Apuleius Anaxagoram, Leucipum, Democritum, Epicurum « ceterosque rerum naturae *patronos*, qui putabantur *irreligiosi vel magi*; Diogenem, Antisthenem, et alios *Cynicae familiae*, cum suis insignibus, idest *perula et baculo*; Zenonem,<sup>1</sup> *stoicae sectae conditorem*, etc.

\*\*

Nondum dixi de Socrate. Tribus tantum locis mentio de Socrate fit, c. 15, 18 et 27: memoratur eius speculum quo *vir omnium sapientissimus* etiam ad disciplinam morum utebatur; *sapiens pauperitas et daemonion*. Amplissimis vero laudibus celebratur Archimedes Syracusanus, qui dicitur « *vir in omni quidem geometria multum ante alios admirabilis subtilitate* », et Pythagoras « *vir egregie doctus et veterum aemulator* ».

\*\*

Diximus iam de nonnullis versibus graecis Apuleio allatis. Plerosque ab Homero mutuatur; unum a Simonide. Neque desunt integri loci soluti Platonis vel Theophrasti, qui omnes luculente testantur quam penitus scriptor Madaurensis graecam linguam calluerit.

Quum autem ipse in Graecia doctrinis instructus esset, fere ardet Graeciae desiderio, quum dicit: « *Sacrorum pleraque initia in Graecia participavi: eorum quaedam signa et monumenta tradita mihi a sacerdotibus sedulo conservo (c. 55)* ». Multa

<sup>1</sup> *Apol.* 4: « Item Zenonem illum antiquum Velia oriundum, qui primus omnium *sollertissimo artificio ambifariam dissoluerit* ».

enim Apuleius in Graecia didicit, et ibi liberaliter educatus est, ut appareat ex *Flo-rid.* (p. 29 Kr.): « Pueritia apud vos et magistri vos et secta, licet Athenis Atticis confirmata ... ».

Si Athenis sua pueritia confirmata est, necesse de Atheniensibus debebat optime sentire. Sic eos « catos »<sup>1</sup> appellat, idest qui ingenium bonis artibus excolunt exercitentque, quamquam vero apud illos non defuit « Meletides fatuus », quo nomine illud voluit significare non semper apud gentes doctrina excultas optima ingenia florere, quin imo apud socordissimos existare interdum ingenio nobiliores, ut apud Scythes Anacharsim et apud Athenienses catos Meletidem, sive Margitem, satuum, cuiusque stultitia in proverbii consuetudinem venit.

Alio loco (c. 86) Athenienses laudantur quod ex captivis epistulis Philippi Maccdonis hostis unam epistulam recitari prohibuerint, quae erat ad uxorem Olympiadem conscripta; idque ob « commune ius humanitatis »: ii enim hosti potius pepercunt, ne maritale secretum divulgarent, praeferebant rati fas commune propriae ultiōni. Magna autem admiratione Aristidis et Phocionis et Epaminondae Apuleius tenetur, quorum paupertatem aptissimo nomine adiectivo commemorat. Volens illud ostendere, paupertatem apud prisca saecula esse omnium civitatum conditricem et omnium artium, repertricem, ... sic

<sup>1</sup> Catus varie acceptum est ab antiquis, ut *cata dicta* = *ante dicta*; *consilium catum* = *consilium prudens vel callidum*. Catus autem, *canere*, vel *iaculari cervos* = *doctus canere, iaculari*, etc. Datum est ut cognomen a Romanis, eodem modo ac *Corculus*. Ennius (apud Cic., I, *Orat.* 45, 198) habet: « Egregie cordatus homo, catus Aeliu' Sextus ». Accipitur pro *sollerti, acuto, perspicaci, sagaci*, etc., et datur iis qui acumine ingenii ac solertia et, quod hinc sequitur, sapientia et prudentia pollent. Sic Cicero (*Leg.*, I, 16, 45): « Quis igitur prudentem et ut ita dicam catum non ex ipsis habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? ». Cfr. etiam *PLIN. N. H.*, VIII, 31, 31.

exemplis confirmat sententiam: « Eadem est enim paupertas apud Graecos in Arioste *iusta*, in Phocione *benigna*, in Epaminonda *strenua*, in Socrate *sapiens*, in Homero *diserta* ». Est quasi pae nobis photographice expressa illorum antiquorum imago, qui in re militari, in philosophia et in poētica floruerunt: paucis verbis et, ut ita dicam, quidquid in illis praecipuum fuit, narratur.

\*\*

Ex iis quae hucusque diximus, colligitur Apuleium et Graeciae, praesertim Athenarum Atticarum, et eius scriptorum admiratione imbutum fuisse. Sive enim memorat ullum, semper optimum, vel qui inter probatos recensendus fuerit, affert; sive Graeciae mentionem initit, occasionem arripit sua litterarum studia memorandi. Inter « diutina studia » quibus sua « longa peregrinatione » vacavit, primum haud dubie habent locum quae in Graecia ursit: idcirco quae dicit de Graecia sunt animi grati testimonium; quaeque autem de graecis scriptoribus habet, non ut promiscue dicta consideranda sunt, tamquam si veterum opera praeclara ipsum breviter et fere ad tempus permoverint, sed ut toto pectore cogitata et ex quibus « neque additum quicquam velis neque detractum neque autem aliquod commutatum ».<sup>1</sup> Is enim erat Apuleius ut etiam accusatorum iudicio *nequaquam* esset *Graecae linguae imperitus* (c. 87); et iure sibi nimis confidebat reprehendi non posse, quum res patissimis cognitos Graece et Latine *propriis et elegantibus vocabulis* conscriberet. Librum e *Graecis suis* iubet promi (c. 36); memorasset adversario etiam Theocriti paria et alia Homeri et Orphei plurima et ex comoediis et tragoeidiis Graecis et ex historiis multa repetisset ni eum animadvertisset Graecam Padentillae epistu-

<sup>1</sup> Cfr. *Apol.*, 95.

Iam legere nequivisse; gratulatur sibi, quod cum tot ac tantis viris (Epimenidi, Orpheo, Pythagorae, Ostani) adnumeretur; in principio accusationis dicitur philosophus formosus et tam *Graece quam Latine* disertissimus vel ab accusatoribus: est igitur *Apologia* testimonium luculentissimum ac certissimum quo amore Apuleius Graeciam doctam prosecutus sit.

MARCUS GALDI.

## HONORATUS BALZAC IN URBE

Audistis profecto, o Socii commentarii nostri humanissimi, de hoc clarissimo viro dicere, qui magnus suae aetatis milesiarum fabellarum scriptor praedicabatur. Mihi, etiam tunc puerulo, memini patrem hilari vultu nunciare, anno millesimo octingentesimo quinto et quadragesimo illum in Urbem venisse, magno equidem celebritatis suae apparatu, hominumque Italorum admiratione. Erat tunc temporis mos quidem probrosus Gallicis scriptoribus, ut multa de Italibz in vulgus ederent aculeata verba, veluti sagittas veneno inficas, quae Italorum ingenium ad invidiā acriter provocabant. Et quam absconum, nemo est qui non videat. Tunc enimvero magnum ingeniorum foetum ediderat Italia, et multi vivebant, - et praeceteris Alexander Manzonius - qui praestantia ingenii atque verborum elegantia ac sententiarum altitudine cum aequalium doctissimis contendere ausi sunt. Magnum propterea animorum incendium in omni Italia est excitatum. En, en Gallia semper de virtute Italorum moeretur! Populus hic tot triumphorum dives « invidus alterius macrescit rebus opimis! ». Balzac autem horum vestigia ingressus, iniuriouse admodum se gessit, quum omnes laudibus amplissimis eum ubique accipiebant, eum principem in scriptori-

bus salutabant. Et sane in eius operibus aptis omnino verbis multoque acumine, hominum mores et ingenia describuntur; eaque dictionis elegantia nitet, quam in reliquis aetatis suae scriptoribus frustra adhuc requiras. Quo nomine Balzac honorificentissime primum Mediolani exceptus, et postea Venetiis, scriptores nostros et Manzoni praeceteris superbe reputans, immodice decarpsit - « Quid est enim hic Manzonius? », aiebat. « Inelegans quidam scriptor, quem Itali ob suorum ingeniorum parvitatem principem appellant! Quid et Thomas ille Grossi, qui Alexandri discipulus, eum mordicus est secutus? *Marcum enim Visconti*, a quo sumpsit suae fabulae milesiae argumentum, Itali perperam in magno honore obtinent. Hanc operam stilo tenui exaravit atque ineleganti, nec facili ac puro exornavit, ut nitorem et gratam Gallorum simplicitatem minime referat ». Quo facto procax Balzac iudicium, summa velocitate per omnem late Italiam per vulgatum, magnam in auctorem invidiam conciliavit. Et Venetiis, ita fuerunt animi exagitati, ut, nisi adstitisset clarissima matrona, cuius Balzac hospes erat, vix adstantium furem devitare potuisset!

Nunc vero meliore alite ad nos perductus, rerumque asperitate optime doctus, more quasi peregrinorum Italiam peragrat, et nullo admodum circa se rumore excito, Roman petit, atque *Gregorium XVI P. M.* adire humillime postulat.

Quam vero mutatus ab illo!...

Mirum sane omnibus visum est quod ephemeredes illius temporis, hominis famam admirantes, minutissima quaeque de Balzac in vulgus ediderunt.

At praeceteris in medium mihi placet referre, quod ipse ad sororem litteras mitens, de Pontifice Maximo memorat, quem italicae dignitatis et incolumentis adseritorem candido ore profitetur. Iuvabit tamen ipsa eius verba ex gallico sermonie transferre.

« Ad sanctissimi Patris pedes provolutus, - ita ille - sacram sum crucem in crepida descriptam rite osculatus, et conceptissimis verbis, libenti animo, obsequium meum Pontifici testatum volui. Pontifex autem paterno admodum studio me hilari vultu recepit, et quum cognovisset vivere adhuc matrem nostram, sacrum Beatae Virginis Rosarium, quod *corona* dulciter Italivocant, peramanter mihi donavit. Ut hoc insigne Pontificis Maximi munus totque virtutibus praeditum sit apud nos carissimum obsequii et honoris monumentum etiam atque etiam pro viribus curabo.

« Roma vero, quam primum modo vidi, est procul dubio ac discriminé prior mihi et cordi meo; ipsa est omnium quae sunt in terris rerum pulcherrima civitas! Haec in primis est vitae meae dulcissima recordatio. Et tu, suavissima soror, Romam quum veneris, me verissima dixisse profiteberis! Gaudebis tibi et maxime mihi gratulaberis, quum noveris, me fratrem tuum libero admodum pede Caesarum villas, Pontificum, aliorumque virorum immortalium domos invisisse. Sacrae maioris hebdomadae caeremonias ad Sancti Petri ego ipse oculis perlustrare volui, adstante solemniter Pontifice Maximo, et animis omnino commotus iterum atque iterum illius diei laetitiam in mentem revocabo, et psalmum *Miserere*, quem suavissimis notis *D'Allegri* aptavit».

Ad haec veluti cūmulus accedit narratio de Acroasi, quam de Dante Alighiero in Urbe habuit Caetani Dux, qui elegans est politiorum litterarum spectator, et in primis supremus illius aetatis poëmatis sacri cultor. Omnes sane intelligentioris ingenii viri, qui eo tempore Romae versabantur, tum novitate rei, tum potissimum oratoris nomine, plurimi ex omnibus pene Europae urbibus acciti, ad audiendum convenerunt. Huic doctissimae interpretationi Balzac incredibili animi suavitate adstitit; et in praesenti verbis

et postea scriptis, ubi primum in Galliam reversus est, iterum atque iterum mentis suae admirationem Caetani duci depromisit. Quin imo animum suum ei profiteri per litteras voluit, cui clarissimam mileianam fabulam dedicavit, quae doctorum iudicio, nobilissima aestimatur.

In medium ipsissima eius verba referre placet: « Non equidem - ait - Romano principi, neque illustri Caietanorum familiae heredi, qua multos nomini Christiano supremos Pontifices protulit, verum sapientissimo Dantis Aligherii interpreti, hunc parvuli operis commentarium ex prolixiori historia excerptum dicare volo. Tu enim mihi admirabilem omnino sacri illius poëmatis actionem tradidisti, quod unum immortalibus argumentis innixum, cum Homero de principatu in litteris dimicare opinor. Antequam enim tuam nobilissimam interpretationem audivissem, divinum Italorum carmen, quod "Comedia, passim vos dicitis, immensum quoddam rerum arcanum mihi videbatur, paucissimisque revelandum. Iturus ad Acroasim tuam, mecum ipse illud Horatii mente volvabam: "Arcanum neque tu scrutaberis ullius unquam! „ Verum, te duce, praedicare non desino: Quis possit integrius Dantem non cognoscere? Quis ad eius ingenii altitudinem adsurgere non valeat? Omnia sed tibi quae altiora esse videntur, familiarissima sunt».

Uno verbo, Urbs Roma excitavit cuncta Balzaci praecordia, qui, quoad vixit, Romanum principem omnium civitatum esse praedicavit, et identidem erga Pontifices supremum obsequium profitebatur... Roma sic semper de adversariis insignem ferre solet triumphum!

Quod tamen diutius in minimis simmoratus, tu me fortassis accusabis: at ego, quoniam de Roma ageretur, et de summo Ecclesiae Magistro, laetissime fecisse facteur; denuo et fakturum esse polliceor.

SENIOR.

## IN FUNERE BENEDICTI PP. XV

*Profer, Cymba Petri, signa nigrantia:  
Navarchum rapuit Mors tibi providum,  
apte qui BENEDICTI  
nomen gessit amabile.*

*Cum Dux ille tibi primitus obtigit,  
horrendo pelagus turbine concitum  
vastas accumulabat  
strages densaque funera.*

*Siccis hoc oculis cernere nauticus  
immane excidium non poterat Pater;  
flentem saepe videres  
voces fundere supplices*

*aras ante sacras; nec semel hostium  
castris insonuit vox monitoria:  
« Cessent denique - clamans -  
cessent bella furentia! »*

*Ut tandem rediit tarda nec integra  
Pax, heu! sanguineis fluctibus enatans;  
ut mox, orta repente,  
pestis saeviit et fames,*

*Tu solator eras, optime Pontifex,  
pupillis, viduis atque famelicis  
turbis, quae BENEDICTI  
tollunt nomen ad aethera.*

*O deflete Parens, funere praepeti  
nobis rapte, tuis perge dolentibus  
natis, auspice dextra,  
e caelis BENEDICERE.*

*Petri Naviculam fac regat ocium  
Dux alter, Superis gratus et inclyta  
quavis dote decorus,  
spirans INTREPIDAM FIDEM.*

xI Kal. Febr. MCMXXII.

FRANC. X. REUSS.

## DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS<sup>1</sup>

Quod vero pergit: « Quem tu autem magis putas ab Ovidio significatum esse, quam eum, cui plurimum illum studium iam satis impendisse docuimus, Lucretium? » neglexit, causam nullam esse, cur Ovidius sententiae omnibus eius aetatis viris doctis communis significet auctorem Lucretium. Accedit, quod Lucretius, quomodo imber nix fiat, ne verbo quidem attigit, nisi magnum duramen aquarum de hac re dictum sit, quae mihi quidem verba in molles nives quadrare non videntur.

Sed iam nobis dicendum est de imaginibus a natura nivis deductis. Ac primum quidem frigus nivis a THEOCRITO commemoratur (2, 106): πᾶσα μὲν ἐφύγθη χίονος πλέον, ubi OVIDIUS pro nive glaciem induxit.

Her. 1, 22:

*Frigidius glacie pectus amantis erat.*

Ibid. 10, 32:

*Frigidior glacie semianimisque fui.*

Album ad colorem depingendum in multis comparationibus nivem locum habere videmus: K, 437; PHILOXEN. (2, 6); CAT. (25, 26, 61, 9, 80, 1); PROP. (II, 3, 1); VERG. (Aen., XII, 84); OVID. (Am., III, 5, 11, 7, 7; Her., 15, 249; Met., II, 852; VII, 373; XIII, 795; ex Pont., II, 5, 38).

Nivem radiis solis madentem exhibent CALLIMACHUS (h. i., Dem. 92) ὡς δὲ Μήμαντι χιῶν... καὶ τούτων ἔτι μᾶσσον ἐτάκετο.

Et THEOCRITUS (7, 76): εὗτε χιῶν ὡς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἴγον ἢ Ἀθων ἢ Ρόδοπαν ἢ Καύκασον ἐσχατώντα.

Quod utroque loco nomina montium afferuntur, docet, poëtas ante oculos ha-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. Decembr. MCMXXI.

buisse (τ. 205): ὡς δὲ χῶν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλουσιν ὄρεσσιν.

Eandem imaginem semel modo OVIDIUS habet (*Ex Pont.*, I, 68):

*Non igitur mirum, si mens mea tabida facta de nive manantis more tiquescit aquae:*

Nam (*Met.*, II, 808) glaciem in nivis locum vocavit et (*Met.*, III, 488) *matutinas pruinias*.

Ad abundantiam lacrymarum significandam hac imagine OVIDIUS utitur: (*Her.*, 13, 52; *Am.*, I, 7, 58; *Trist.*, III, 2, 19; *Ex Pont.*, II, III, 3, 89). Idem imbris instar facit lacrymas fusas (*Her.*, 10, 138) et fluminis modo (*Her.*, 8, 62).

MEGARAЕ auctor (v. 45): σὺ δ' ἥντε λείβεαι ὕδωρ νύκτας τε κλαύοντα καὶ ἐκ Διὸς ἥματα πάντα, unus nostrorum poëtarum spectasse videtur «rivulos a rupibus praecipitibus stillantes, cuius imaginis usus frequens est apud tragicos epicosque poëtas». Pendet e divinis illis Homeri versibus (π, 3):<sup>1</sup> Δάκρυα θερμὰ χέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος, ᾧ τε κατ' αἰγιλίπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.

Ad multitudinem depingendam nives adhibitae sunt (*Γ.*, 222):

Καὶ ἔπεια νιφάδεσσιν ἑοικότα χειμερίγονι.

Iterum (*I.*, 357):

Ω' δ' ὅτε ταρφειαὶ νιφάδες Διὸς ἑκποτέονται ψυχραὶ ὑπὰ ρίπης αἰθρηγενέος Βορέαο.

CALLIM. (*i. Del.*, 175); OVID. (*Tr.*, IV, 58). Grandines contrā: VERG. (*Georg.* IV, 80; *Aen.*, V, 458); OVID. (*Met.*, V, 158; *ibid.* 199).

### Tonitrus atque fulmina.

Tonitruum fragorem exhibit VERGILIUS (*Aen.*, XII, 922): *Nec fulmine tanti dissultant crepitus, tonitrus.*

Procul auditos OVIDIUS (*Met.*, XII, 51); *Qualemve sonum, cuius Iuppiter atras*

*increpuit nubes, extrema tonitrua redunt.*

Fulminum, quorum splendorem laudat HOMERUS (K, 153) τῆλε δὲ χαλκὸς λάμψη ὡς ἀστεροπή πατρὸς Διός (Λ, 66; Ζ, 386), celeritatem respexit VERGILIUS (*Aen.*, VII, 390);

*Non secus atque oīm tonitru cum rupta corusco ignea rima micans percurrit lumine nimbus.*

Celeritatem et vim ibid. (IX, 706): *Fulminis acta modo* (XI, 616): *Excussus Aconteus fulminis in morem.*

Utramque etiam OVIDIUS spectat (*Met.*, VIII, 338):

*Hinc aper excitus medios violentus in hostes fertur, ut excussus elisi nubibus ignes concursant.*

Cui loco ZINGERLEUS, probante Washietlio, contulit LUCR. (II, 214):

*Nunc hic, nunc illuc abrupti nubibus ignes concursant.*

Sed imagines sunt diversissimae. Lucretius de duobus vel pluribus fulminibus agit; Ovidius vero non potuit comparare nisi uni fulmini ingenti vi ac celeritate in terram irruenti aprum in venatores ruentem; pluralem autem numerum posuit, ut indicaret unum quodque fulmen ita in terram ferri.

Etiam in eo loco diversissimos esse certas, quod Lucretius fulmina vocat *abruptos nubibus ignes*, Ovidius vero *ignes excussis nubibus elisos*. Vis enim participii *abruptus* hīc non potest esse nisi reflexiva Ovidius autem nubium concursu facit fulmina e nubibus elidi. Quod vero apud utrumque vox *nubes* reperiatur fulminaque ignea ut a poëtis *ignes* vocentur, imitationem ac *conspicuam* quidem esse, nemo opinor, putabit.

(*Sequitur*).

ALEXANDER AURELI.

*Ad veram sapientiam pervenire non possunt, qui falsae suae scientiae fiducia decipiuntur.*

S. GREGORIUS, in *Moral.*

### Nobilis rerum expositio quae ad Magellanicas terras pertinent<sup>1</sup>

In altero conclavi, tacitae ut ita dicam frequentes invisentibus se se exhibent imagines arte photographica depromptae, universas res Borgatelli missionarii referentes, qui per viginti et amplius annos opus salutare insumpsit et re et consilio adiuvit. Ex ipsis photographiis facile quisque eruere mente potest, quam celeriter incolas ad humanitatem Missionarii excollerint, et rudes admodum atque incultos ad laborandum informaverint. Omnes qui paulo post illuc adpulerunt, laetioresque terras invenerunt atque homines artibus ac commerciis aptissimos, Missionariorum industriam maximis laudibus ad caelum efferre haud dubitarunt.

At imprimis semper Missionarius de Catholica sapientia est optime meritus, qui Feughinos christiane docuit eosque ad agrorum cultum impense excitavit.

Haud ita multo longe est conclave egregie undique tabulis exornatum confectis ex algis illius pelagi antarctici et photographiis regionem ipsam referentibus.

Res enim in dies novorum incolarum opera in melius mutantur; atque iuvabit olim ob oculos habere veterum rerum locorumque imaginem.

Ad hoc munus, quo intimius atque magis ad temporis rationem redactum ut naturam illius regionis effingeret atque homines, missus est nuperrime vir photographicæ artis peritissimus idemque geographicarum tabularum scientissimus, qui omnia admodum ob oculos ponit, quae nobis placent aut prosunt, aut demum commodantur. Hic, paterna veluti industria enutritus, graphice et mirum in modum omnia retulit.

Paulo ante Missionis pater, quo melius

corporibus suorum prospiceret atque animis, voluit amoeniora loca eligere, ubi possent et agros feraciores colere atque securius rebus suis studere. Sub eius ductu itaque emigrarunt alacres in insulam Dawson, ibique domus lignis confectae singulis familiis adsignantur, et in primis aedicula construitur Augustae Matri Adiutrici dicata. Ex improviso, divina veluti virgula excitata, parvula civitas adparet: ecce scholae cum officinis, en hortuli et campi, omnia equidem parvula, apta sed hospitibus novis. Celebris illic est prae ceteris immensa sylva perennis, multis aeternisque arboribus consita, et lignis duris, sectilibus, roboreisque omnium generum ditissima, uno verbo, *sylva vetus nulla violata securi*.

At secum ipsis certissimum sibi fatum ferebant. Haud ita multo antea peregrini mercatores, ut facile pretiosissimas phocarum pelles acquirerent, miseris *Indis* exitiale potum offerebant...

*Nec saevior ulla  
Pestis et ira Dei stygiis se se extulit undis.*

Haec dira pestis totam corporum compagem vitavit, et miserum in modum, brevi post tempore, aēr ipse purissimus, qui nostris salus esse poterat, in tristissimum funus evasit. Tunc de reditu ad *Puntas Arenas* cogitavimus. At quam pauci! Ibi quoque insiti crudeli veneno pueri uno eodemque morbo atque patres misere occumbunt. Nonnulli, spe salutis induci, coloniam deserunt atque in silvas intimius fugiunt, ut illic morbo aliquando liberentur. At frustra, quoniam haec hominum stirps ad interitum vocari videtur.

Sic lamentabili equidem casu, haec misserrima Feughinorum natio ad interencionem destinata esse adparet. Namque magis in dies sensim sine sensu, abhinc aliquot annos, summo Missionariorum moerore, ominosa quadam ratione macrescere coepit atque extenuari, et continuo quodammodo fato concedere.

<sup>1</sup> Wilamowitz, *Analecta Euripidea*.

Ad haec Cilena potestas, quasi improba avaritiae cupidine abrepta, nulla prorsus facultate pretioque iniquo, latiores illas in annos regiones cuidam Anglorum societati concessit, qui cupidius quaestui studentes, per fas et netas veteres pacificosque colonos, velint nolint, barbare expulerunt.

Si miseri res suas aliquando defendarent et arcubus invasores eiicere niterentur, Angli, recentibus armis innixi, eos omnibus expoliatos miserum in modum crudeliterque mactare coeperunt atque interficere. Erant lacrimae rerum, quas Missionarii summo studio vix minuere poterant, non equidem ab integro prohibere. Infandum hoc crimen est Cilenis maxime assignandum, qui rem alienam secure mercatoribus adtribuerunt, qui iniquo marte sic infelices Feughinos omniq[ue] ratione vexant, perdunt et mactant. Si hisce malis potionem pestiferam adiunges, satis superque habebis ut ipsi ad incitas redigantur.

Utinam aliquando pauci illi, quos supra monui, interiores insulae partes repetentes, sint saluti omnisque generis instaurati:

*Ut apes facere solent, quae rebus in angustis a quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes Incumbunt generis fracti sarcire ruinas.*

Paucis fortassis labentibus annis, omnis Feughinorum natio funditus eradicata, vel leniter cum novis habitatoribus commixta, alienorum mores amplexabitur, vel in paenitioribus locis apud lacum Fagnanum securiores sibi sedes parabit.

Omnium harum rerum hominumque memoria apud posteros feliciter prorogabitur per Museum insigniter sapienterque collectum a Maiorino Borgatello Missionario. At

*sunt certi denique fines...*

Multi omnino bonis hisce rebus hospites, hac sunt aestate mecum feliciter usi.

Valete.

I. B. FRANCESIA.

## COMMUNIA VITAE

### De officiis.<sup>1</sup>

- Provoa igitur ad fiscum, et ius in te perversum (violatum) comproba (rationibus confirma; argumentis stabilias). - Iniurias contra te egisse eum evincas (rationibus persuadeas). - Planum apud eum facias (perspicuum reddas; argumentis ostendas) se ab iure abiisse (discessisse). - Iura tua contra eius asseverationes tuearis (robore; solide statuas; valide constituas; egregie stabilias; obfirmes).

Discrepantiam (dissensionem; controversiam) inter te et fiscum componere (conciliare; ad concordiam adducere) studeas (conceris).

Quid si fiscum rogaveris, ut pecuniae diem saltem tibi proferat (laxet; ampliorem reddat; concedat; laxiorem indulget)?

- Nosti fiscum! Die elapsa quam omnibus eamdem constituit, mulctas addit, sequestro immobiles res ponit (deponit; sequestri mandat; sequestri committit); pignoratur supellectilem (captis pignoribus sibi cavet; aufert pignora): omnia denique sub hastam subiicit (super omnia hastam ponit) et vel minutum vendit (membratim divendit; particulatim distrahit; per partes venumdat).

- Atqui certe mihi dependendum non est quod non ego possideo, neque pro te spondere possum. - Pro te solvere non teneor (non satisfacere deboeo). - Mea non est fisci obaeratio, mea non solutio. - Ad te pertinet (spectat) ex ista aqua te emergere (e salebroso, scopuloso hoc loco enavigare).

Suum quisque habet suis rebus (rationibus) prospicere (providere; cavere; consulere; suas res curare; procurare; agere; administrare; sua negotia gerere; rerum suarum curam sustinere). - Proprium cuiusque est suis rebus vacare (operam dare; praestare; tribuere; suis rebus assidue in vigilare). - Nemo quam ex sese quisque melius incommodis suis mederi (providere; occurtere; remedii subvenire;

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

medicinam reperire) potest. Ipse itaque remedium praesens (operae praesentis remedium) huic tuo vulneri quaeras et adhibeas (afferas; facias). - Virtute ipsa tua deturbatas res instaures (restituas; meliorem in statum revoces; redigas; in integrum reducas, restituas).

- Quae nunc te habet (movet; capit; angit) sollicitudo? - Quid te exercet (vexat; urget)? - Quid tibi fastidium facit? - Quid te sollicitat (cruciat; premit; afflit)? - Quam molestiam (quam acerbitate; quem dolorem) ex ipsis oculis tuis (ex ore; ex vultu tuo) promanare video ecquid creavit (inussit; commovit; attulit)? - Undenam molestia (dolore) affectus es? - Ecquid animum tuum vehementius hodie exagitavit? - Ecquid hodie te tam anxius habet? - Qua exerceris aegritudine? - Circa quid laboras? - De quo angeris? - Quibus molestiis es implicitus (contristatus)? - Ob quam causam tristitiae te tradidisti?

- Ex morte patris (uxoris, filii, etc.) doloris plurimum hausit (cepi, tuli). - Improvisum obitum ... (matris aviae, sororis, etc.) sic tuli, ut omnem amiserim iucunditatem. - Interitus... magnum mihi dolorem (moerorem; angorem; magnam acerbite; tristitiam; aegritudinem) peperit (creavit; dedit; intulit). - De morte... valde labore (afflictor; angor; excrucior). - Ob mortem... in moerore versor (in tristitia sum; iaceo; moerore me conficio; aegritudine conficio; sum affectus; premor). - Mortem... (occasum; fatum; letum; excessum e vita; supremum diem; naturae dissolutionem) ... moereo. - Ob mortem acerbam (crudellem; immaturam; miseram; repentinam; subitam; necopinatam)... dolore sum afflictus (luctu perditus; angoribus fractus; moerore contabesco, debilito, opprimor). - Tristissimis vexor et conficio curis. - Affectus moerore jacet et languet animus meus. - Iaceo in luctu ac moerore (in moerore ac sordibus). - Tristitia me exedit. - Vita mihi fastidiosa (acerba; molesta; gravis; amara) facta est. - Vitam fastidio (vitae me taedet) - Vitam mihi acerbam puto (acerbe vivo). - Ani-

mum moerori ac tristitiae permisi (dedidi). - In tristitiam me abieci (deieci). - Tristitiae habenas laxavi (remisi). - Perculso et abieco (afficto et fracto) animo sum.

- O miseram (infelicem; aerumnosam; calamitosam; infensam; adversam; infestam; iniquam) sortem suam! - O miserrimo fato nate, unde... vita decessit? - Unde e vivis excessit (migravit)? - Qua de causa obiit (mortem, diem suum; diem supremum obit)? - Quomodo defecit (interiit; occidit; desivit; expiravit; mortuus est; perii; exstinctus est)? - Unde animam efflavit (exhalavit)? - Unde extreum spiritum effudit (edidit; lucis usuram amisit; posuit, finivit; supremum diem explevit)? - Unde e corpore (e medio) excessit? - Unde spirare desivit (desivit inter vivos agere; vita functus est; somno consopitus est semipiterno)? - Unde ab hominibus demigravit (vita est privatus; Deo naturaeque concessit; in fata [fato] concessit; mortem oppetivit; mortalitatem explevit; oculos in mortem clausit; extreum vitae spiritum edidit)? - Ob quam causam animam egit (vitam amisit; vitam deseruit; vitam cum morte commutavit; ab hominibus demigravit; extreum vitae diem morte consecit; vitae curriculum conficit; morte occubuit)? - Qua morte deletus est (animam edidit; e conspectu hominum sublatus est; rebus humanis eruptus est; vitam [spiritum] reddidit; ex his tenebris ad sempiternam lucem advolavit; istius corporis custodiis est liberatus)?

*(Ad proximum numerum).*

FORFEX.

## ANNALES

Washingtonensis et Cannensis conventus.

In Washingtonensi illo de armis deponendis conventu, qui iam duos menses producitur, disceptationes de re naval re sumptae sunt, eoque saltem peruentum est,

ut Gallia tandem ad rationes accesserit circa bellum subaquearum navium propo-sitas. De bellica aviatione est deinde agi-tatum argumentum; sed legati brevi sibi per-suasum habuerunt nihil sibi cavere in hac re licere, priusquam bellicae leges unanimi nationum omnium consensu in universum firmatae fuerint.

Interim Cannes, Gallica in urbe, coetus alter congregatus est ad Europae oeconomi-cam instaurationem perpendendam. Quam hisce consiliis Angliae supremus admini-ster tantum fieri posse edixit; ut scilicet obstacula quaevi a politicis nationum ra-tionibus opposita removerentur; ut egen-tioribus populis nomina generose con-de-rentur; ut cuilibet nationi integra libertas fieret internas gubernii rationes sibi con-stituendi; ut nationes omnes, alteri al-tera, obligationes, debita pensationesque resarcirent; ut denique eorum singulae sub sua fide prohiberent ne suarum gen-tium emissarii extra fines civitatis ci-viles rationes suas attollerent, ita ut alio-rum rationes facile essent subversuri. Ad haec, de damnis a victis populis, atque praecipue a Germania, resarciebant, in medium prolata quaestio est, auditisque Germanicis legatis, quaesitum utrum pen-sis a Germania solvendis, dilationem con-cedere aequum esset; quibus limitibus inde solutiones uni et alteri creditor i-tribui deberent, quibusque pariter limitibus eas-dem solutiones per naturales fructus fieri liceret. Obstiterunt hisce propositis Galli legati profitentes sibi oportunas cautions necesse esse, ne sua loca rursus invasa forent. Tum Anglia præsidii foedus Gal-liae proposuit, quo nempe sese, ab hac iactura arcenda, interventuram terrestri-bus et navalibus copiis in consociatae na-tionis tutelam sponderet. Dum vero huius foederis pacta agitantur, en in publico le-gatorum coetu legibus Gallicis ferendis Briand, Gallicus in Cannensi conventu de-legatus idemque administratorum praeses, accusatur, quasi Gallicam causam pre-verteret. Accurrit ille Lutetiam Parisiorum atque eloquenti oratione minime se esse in crimine demonstrat; at favorem lega-

torum a se adversum persentiens, a mu-nere sese abdicat. Cannensis itaque con-ventus, Gallorum legato absente, in laboribus suis insistere nequit: itaque dissolvitur; non prius tamen quam conventum novum Genuae, in Italica urbe, proxime haben-dum constituerit, eo ad amussim fine ut omnibus modis internationalis per Euro-pam omnem commercii restitutio sanc-tiatur, et oeconomica societas ad rem ordi-netur. Ad huiusmodi conventum omnium nationum, ipsiusque Russiae, legati invitabuntur. An et quomodo res perfici pos-sit, eventus docebunt

\* \* \*

### Varia.

Prouti in bonorum omnium exspe-ctatione erat, foedus inter Angliam et Hi-berniam ab utraque parte ratum et con-firmatum tandem est: et feliciter iam executioni mandatur.

— Italia, in nordica Africa, quum indi-genae impares gubernio iis relicto sese ostenderent, Misuratae litus iterum occu-pavit.

Kal. Februarii MCMXXII.

POPULICOLA.

## ROMA SACRA

### Benedicti Pp. XV obitus.

Benedictus Pp. XV integra semper fue-rat valetudine, ita ut morbos sperneret, cu-rasque omnes quea ad corpus tudandum vale-rent. Atqui haec de sanitate sua negligentia fatalis ei, et humano generi luctuosa evasit. Quum enim in insidias morbi, cui vulgo ab influentia nomen, incidisset, eas de more est aspernatus; sollicitationes immo fastidiit tum familiarium, tum medici, qui denique, quum eum hora vigesima diei XVII mens. Ianuarii MCMXXII iterum visitasset, atque bron-chiorum inflammatione iam afflictatum inve-

nisset, auctor fuit, ut lecto sese reciperet. Ecquid vero? Insequenti mane, primo dilu-culo, Pontifex iam e lecto surrexerat ad con-suetam laboris vitam paratus, licet vires ob fla-grantem febrim iam eum quominus consideret ferme prohiberent. In lecto igitur est rursus collocatus, atque archiater, qui sedulo ad eum redierat, sibi cum dolore persuasum habuit de sonica causa iam agi: bronchia enim intra duodecim vix horarum spatium epiphora ita affecta erant, ut ne meatus quidem liber in iis factus esset, malaque affectio pulmones minitaretur, quos reapse, brevi, lethali vi assecuta est; quin etiam die XIX, hora deci-matertia, visa est Pontificem ex cordis para-lysi ex improviso rapere. Qui ei aderat, so-dalis a S. Ioanne de Deo aegris inserviendis, periculum persentiens, in ipsas augusti infirmi venas opportunam lympham iniecit, unde corporis vigor est satis restitutus; qui tamen superveniente nocte rursus remittere coepit, anhelatione et angustia spiritus in horas cre-scente. Gravis haec rerum conditio Benedi-ctum XV, animo semper promptum et ere-ctum, non effugit, qui voluit tum Sacra Sy-naxi, Viatici more, sollemniter refici, quam, ad meridiem circiter, sacro adstante Purpu-ratorum Senatu, pientissime sumpsit. Illa fe-ria sexta et dies sabbati per alternas timoris et spei vices transierunt: impossibile enim videbatur tantum virum eripi posse, omnes-que confidebant fore ut a totius orbis preci-bus Omnipotens commotus vel per miracu-lum sanitatem Patri dilectissimo restitueret. Longe aliter vero arcana Dei consilia decre-verant: qui Christi vicarius nomine Bene-dicti XV in terris erat, Oleo sancto a Praefecto Apostolici sacrarii inunctus, precibusque Car-dinalis Maioris Poenitentiarii Uni Trinoque Domino commendatus, postquam supremis collectis viribus ter universo hominum generi peramanter benedixit, hanc vitam cum caelesti ecommutavit hora sexta dominicae diei, XXII mensis Ianuarii MCMXXII.

Corpore in eodem lecto composito, obi-tusque recognitione iuxta ritum peracta ab

Eño Viro Petro Gasparri, S. R. E. Praefecto seu Camarlingo, cadaver nobilium stipatorum cohorti est demandatum, pauloque post adi-tus aulicis datus pluribusque fidelibus, urg-enibus ut animi sui moerorem ob parentem desideratissimum tam immature praereptum, apud ipsum effunderent. Hora eiusdem diei decima tertia, adhibitis primum pharmacis quae pro tempore sacras exuvias incorruptas servarent, corpus episcopalibus insignibus est vestitum, ac deinde in throni aulam deduc-tum, ubi Romanorum nobilium, legatorum exterarum gentium, aliorumque illustrium vi-rorum pietati ostensum est, usque ad proximum mane, quando, hora nona, in Vaticanam basilicam, ipso Purpuratorum comitante coetu, est sollemniter translatum, ibique, in Sanctissimi Sacramenti sacello, per dies tres relictum, civium advenarumque venerationi, qui confertim et sine intermissione undique conflu-xerunt. Denique, die XXVI Ianuarii, hora deci-ma quinta cum dimidio, in eiusdem basilicae sacello Immaculatae Deiparae Virgini dicato, et vulgo a Canonicorum choro nuncupato, triplici feretro compositum est, ac proinde in cryptis Vaticanis prope tumulum Christi-nae, olim Suetiorum reginae, reconditum. No-titia rerum a tanto Pontifice gestarum tradita est inscriptione quae sequitur, in interiore feretro inclusa:

BENEDICTVS · XV · PONT · MAX ·  
GENVAE · XV · KAL · DEC · ANNO · MDCCCLIV  
PATRICIO · GENERE · NATVS · EST · EX · IOSEPHO · DELLA-CHIESA · ET · IOANNA · MIGLIO-RATI · MARCHIONIBVS · ET · AD · SACRV M  
FONTEM · IACOBVS · APPELLATVS

FLORENTE · AETATE · CVM · IN · PATRIO  
ATHENAEO · IVRIS · LAVREAM · ADEPTVS  
ESSET · ROMAE · IN · ALMO · COLLEGIO · CA-  
PRANICENS · ACRE · INGENIVM · SACRIS · DI-  
SCIPLINIS · EXCOLVIT

SACERDOTIO · INITIATVS · MATVRE · APO-STOLICAE · SEDI · OPERAM · NAVARE · COEPIT  
AC · PRIMVM · NVNTII · APOSTOLICI · APVD  
AVLAM · HISPANICAM · ADIVTOR · TVM · IN

ROMANA · CVRIA · NEGOTIIS · PVBLICIS · TRACTANDIS · SCRIBA · ET · ALTER · A · CARDINALI · FVIT

INTEREA · VT · QVI · DIGNIS · SACERDOTE VIRTVTIBUS · ORNATVS · ESSET · SACRI · MINISTERII · MVNIA · QVANTVM · PER · OCCVPTIONES · EI · LICVIT · SEDVLVS · OBIRE CONSVEVIT · NOCTVQVE · SVPPPLICATIONES SACRAMENTI · AVGVSTI · AD · ADORANDVM PROPOSITI · PIENTISSIME · FREVENTAVIT

ANNO · MDCCCCVII · ARCHIEPISCOPVS · BONONIENSIS · RENVTIATVS · ET · VII · POST ANNIS · INTER · PATRES · CARDINALES · ADLECVTS · IPSA · PASTORALIS · MVNERIS · PERNVNCTIONE · EGREGIA · VIAM · SIBI · AD PONTIFICATVM · MAXIMVM · MVNIVIT

ITAQVE · CVM · PIVS · X · SANCTAE · MEMORIAE · PONTIFEX · AD · DEVU · EXCESSISSET IN · EIVS · LOCVM · MAGNA · SVFRAGATORVM CONSENSSIONE · FACTVS · EST · III · NON · SEPT. ANNO · MDCCCCXIV · SIBIQVE · BENEDICTI · XV NOMEN · ADSCIVIT

QVONIAM · ORBEM · TERRARVM · INVENIT MAXIMO · POST · HOMINVM · MEMORIAM · BELLO FLAGRANTEM · VISCERA · INDVENS · CARITATIS · CHRISTI · AD · TANTAM · CALAMITATEM MINVENDAM · TOTVS · INCVBIT · PACEM BELLIGERANTIBUS · SVADERE · PATERNO · STVDIO · INSTITIT · NIHILQVE · RELIQVI · FECIT QVOD · AD · RECONCIL'ANDOS · INTER · SE POPVLOS · PERTINERET

INTEREA · MIRIFICE · ALACER · AD · SVSCIPIENDA · QVAECVMQVE · MISERIAS · OMNE GENVS · BELLO · NATAS · MITIGARENT · INCREDIBLEM · EGENIS · EX · QVAVIS · NATIONE LIBERALITATEM · PRAESTIT · PRAECIPVEQVE IN · POPVLIS · AD INOPIAM · REDACTIS · PARVVLOS · INNVMERABILES · FAME · ENECTOS MISERATVS · IPSE · EIS · LARGISSIME · SVBVERNIRE · ET · COMMVNEM · LARGITATEM · IMPLOREARE · NON · CESSAVIT

DE · ANIMARVM · SALVTE · IN · EXEMPLVM SOLlicitVS · DATIS · AD · ECCLESIAM · VNIVERSAM · LITTERIS · VERBV · DEI · QVADRATIOME · PRAEDICANDVM · EDIXIT · TERTIVM FRANCISCALIVM · ORDINEM · PER · SOLLEMNIA

EIVS · SAECVLARIA · COMMENDANDO · CHRISTIANOS · SPIRITVS · VVLGO · REFOVERE · CONTENDIT · NATALEM · DCC · DOMINICI · PATRIS CELEBRANDO · AD · AMOREM · CHRISTIANAE SAPIENTIAE · AD · APOSTOLICAE · SEDIS · OBSERVANTIAM · AD · MARIALIS · ROSARI · CONSVTVDINEM · OMNES · COHORTATVS · EST ITFM · D · N · MARIAM · MAGNAM · DEI · MATERM · PRAECIPVA · SEMPER · PIETATE · PROSECUTVS · REGINAM · PACIS · INVOCARI · IVSSIT IOSEPHI · DEIPARAE · SPONSI · ANNO · L EXEVNT · EX · QVO · VNIVERSALIS · ECCLESIAE PATRONVS · DECLARATVS · EST · CVLTVM IMPENSE · PROMOVIT · IOANNAE · DE · ARC MARGARITAE · ALACOQVE · GABRIELI · A VIRGINE · PERDOLENTE · SANCTORVM · CAELITVM · HONORES · DECREVIT

FIDEI · INTEGRITATEM · VIGILANTISSIME CVSTODIENS · SCRIPTVRAE · SANCTAE · RECTE INTERPRETANDAE · PRINCIPIA · PROPOSITA DOCTORIS · MAXIMI · EXEMPL · CONFIRMAVIT CVIVS · DISCIPLINAE · DOCTORIBVS · EPHREM SYRVM · ADSCRIPSIT

IHSV · CHRISTI · REGNM · AMPLIFICARE STVDENS · DE · FIDEI · SANCTAE · PROPAGATIONE · APVD · BARBAROS · PROVEHENDA SAPIENTISSIMAS · PRAESCRIPIONES · EDIDIT ARDORE · SACRAS · MISSIONES · ADVVANDI IN · BONIS · OMNIBVS · EXCITATO · PRAETEREA PROPRIVM · ECCLESIAE · ORIENTALI · CVRANDAE · SACRVM · CONSILIVM · PRAEPOSIT · DEQVE · REBVS · ORIENTIS · CHRISTIANI · STVDIORVM · DOMICILIVM · IN · VRBE · CONDIDIT AD · ECCLESIAE · DISCIPLINAM · CONGRVENTER · TEMPORIBVS · ORDINANDAM · CODICEM IVRIS · CANONICI · PII · X · IVSSV · COMPOSITVM PROMVLGAVIT

SEDIS · APOSTOLICAE · APVD · RESPVBCLAS AVCTORITATEM · ET · VIM · AVXIT · ADEO · VT CIVITATES · ILLAE · QVIBVS · CVM · ECCLESIA NVLLAE · RATIONES · INTERCEDEBANT · OFFICIORVM · NECESSITVDINEM · CVM · EA · CONIVNGERE · SVA · SPONTE · CONFECTO · BELLO FERE · OMNES · MATVRAVERINT  
DENIQVE · DVM · COMMVN · POPVLORVM UTILITY · SERVIENS · HVMANAS · RVRSVS

COMPONERE · RES · SINE · VLLA · INTERMISSIONE · NITEBATVR · NECOPINATO · MORBO INTERCEPTVS · XII · KAL · FEBRVAR · ANNO MDCCCLXXII · PLACIDISSIME · DECESSIT · INGENTI · MAERORE · LVCTVQVE · ORBIS · TERRARVM

VIXIT · ANNOS · LXVII · MENS · II · D · I TE · X · IN · PACE · PATER · SANCTISIME

### Novi Pontificis electio.

Novendialibus sollemnibus piacularibus iuxta ritum S. R. Ecclesiae expletis, Purpuriati Patres in Vaticanas aedes die II mens. Februarii convenerunt, novum demortuo Pontifici suffecturi.

In sequenti die vi, feria secunda, ad meridiem, Emus Cardinalis Caietanus Bisleti, quippe ex Diaconorum ordine primus, Romanorum civium advenarumque immensae multitudini ex peristylo Petrianae basilicae nunciabat in *Conclavi* ad Pontificii imperii principatum evocatum fuisse ACHILLEM RATTI, Archiepiscopum Mediolanensem, qui sibi nomen imposuit PIUM XI. Paulo post, hora circiter decimatertia, novus hic Summus Dei in terris Vicarius ex eodem peristylo primam benedictionem urbi et orbi impertiebat, atque die dominica, XII eiusdem mensis Februarii, in Vaticanana basilica triplici Summorum Pontificum corona solleminiter est redimitus.

Achilles Ratti modico genere natus est in oppido Desio Mediolanensis provinciae, ex Francisco et Rosa Galli, die XXXI mens. Maii MDCCCLVII. Primum studiorum curriculum domi explevit, quiumque a pueris excessit, studio flagrans sacerdotalem amplectendi vitam, in Mediolanensis seminaria vicissim se transtulit, unde, quum ad theologicae disciplinae gradum pervenisset, in Urbanum Longobardorum collegium demigravit, et in Gregoriano athenaeo doctoris laurea in divina scientia et in iure canonico coronatus est.

Romae quoque sacra primum litavit anno MDCCCLXXIX. Mediolanum quum rediisset, ad

clericos erudiendos operam contulit, primum in Seminario S. Petri, atque deinde in Seminario theologico. Anno MDCCCLXXXVII inter Ambrosiana bibliothecae scriptores adlectus, multam industriad tribuere coepit historicis praesertim disciplinis et antiquis documentis illustrandis; testesque sunt scripta plurima, quae eius nomine italica, latina et gallica lingua exinde prodierunt. Tanta doctrina atque industria Pium X P. M. non effugerunt qui quum adiutorem dare vellet Ehrle illi doctori, Vaticanae bibliothecae praefecto, aetate atque morbis extenuato, Achillem Ratti, iam ab aliquo tempore ad Ambrosiana bibliothecae moderationem elatum, Romam iterum vocavit. Tum ad Vaticanos thesauros doctrinam suam impense adhibuit, investigationes suas quoque producens ad commercium Polonos inter atque Apostolicam Sedem explanandum; inde factum esse dicitur, ut an. MCMXVIII, post immane illud bellum et Poloniā in libertatem vindicatam, quum novo ecclesiastico ordini in ea regione providendum esset, ad hoc munus obeundum a Benedicto PP. XV deputaretur, nomine Apostolici Visitatoris.

Atqui hīc novum praeclari ingenii sui specimen amplissimum, rerum scilicet optime gerendarum, edidit; brevi enim tempore omnia cum ipsius gubernii sanctione composuit. Mirum igitur non fuit quod, quum Nuncius Apostolicus apud Polonos constitui deberet, Rattius a Summo Pontifice deligeretur, Archiepiscopali honore auctus.

Superiore anno MCMXXI maximo cum Mediolanensium luctu supremum diem obibat sanctissimus vir Carolus Andreas Cardinalis Ferrari, illius archidioecesis nobilissimae Antistes; Benedictus PP. XV neminem ei melius substituere se posse iure putavit, quam Achillem Ratti; quem reapse ad Ambrosii cathedram promovit, et sacra Purpura honestavit titulo S. Martini ad Montes. Ad maiora vero tantum virum Providentia Dei servabat; vix enim post menses quinque ad supra Ecclesiae suaे fastigia attollebat!

## LEO IV

10

## ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

## SCENA II.

CONSTANS et MILITES.

CONST. Adest bonus primus ille rerum artifex,  
Magistrum perfidi quem Ulixis dixeris.

MIL. I.<sup>1</sup> Ulixes perdidit Troiam fallacis,  
Dolis tu perdis alteram nefariis!...  
Eris magister, usque vix pedissequus!

CONST. Huius excipio nomen cum gloria.<sup>2</sup>  
En omnes Troiae proditores socii!  
Salvete, amici!

MIL. II. Salve!... Res? Tutissima!

CONST.

MIL. III. Quid est de Roma?

CONST. Sunt omnes una-  
[nimes;  
Volunt se Romanos monstrare denuo.  
Impatientes improbo servitio,  
Memorant veteres victores consules...  
Sed qui fuere non redibunt amplius!  
Plures in singulis adsunt manipulis,  
Una sed mente, verbis et consiliis.

MIL. II. Et piscatores?

CONST. Conspirant ipsi simul!  
Piscator ille dicitur qui maximus,  
Habet super cunctis imperium gentibus,  
Inter collegas odium sic congerit,  
Ut omnes tollant spiritus ferocius.  
Et ipsi milites nobis sunt socii,  
Domus sunt albo designatae lapide,  
Habent in Urbe quas ditiores viri.  
Erunt et duces sustollendi principes;  
(Levant superbius caput papavera),  
Et ipsi mortis iam sigillum conferunt.

MIL. II. Et nostri ex Africa?

CONST. Nocte concubia,  
Manu rapaces, alacres, innumeri,  
Ab Ostia Romam rapaces irruent.  
Sic admodum recte cuncta sunt com-  
posita.  
Et noster pacis auctor almae Pontifex,  
A somno ad mortem pertransibit celere!

<sup>1</sup> Ingrediens.<sup>2</sup> Aliis introeuntibus.

MIL. I. Quot sunt divitiae Romae conspicuae,  
Armillae, torques aurei, monilia!

CONST. Dies cum surgit, fugit vespertino,  
Petit suas notas alacer latebras.

Nunc est eundum! Singulis ad singula,  
Et omni prorsus Africæ prudentia.

« Ab uno disce omnes » poëta scripse-  
[rat...

Sinonis artes perfidique insidias,  
Non unus fecit... Omnes Sinones sumus!<sup>1</sup>

## SCENA III.

CONSTANS solus; mox PUBLIUS.

CONST. Isti sunt hilares et vultu et spiritu...  
Tacent iis forsitan morsus conscientiae;  
Mihi cum noctis medius est iam cursus,  
Adest funesta criminis memoria;  
Et primus Pontifex dulcis, munificus,  
Est amplexatus ulnis qui me teneris,  
Et desiderium longinquæ patriæ,  
Lenibus me verbis solatur et mitigat.  
Viros illustres Africanos memorat,  
In primis semper Augustinum decorat,  
Hunc aquilam dicit esse pœ ceteris,  
Et ipsos vellet advocare in tramitem  
Antiquæ sanctæ religionis Dei...  
Sumus sed infandi sancti iuris infidi...  
Tenet nos sacra cunctos auri famæ.  
Adest sed Publius ... Iuvat componere  
Vultum et adspectum ... Nam sumus  
[nos soliti;  
Color sed ipse simulator optimus;

Sumus nam nigri! Sic tenebrosum ge-  
[nus  
Potest impune machinari quod lubet.

(Ad proximum numerum).

<sup>1</sup> Omnes milites hoc illuc dilabuntur.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMÆ. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C. DEL V